



Sigismundus is sese literarum amore in monasterium Hirsgauu contulit, atq; sedulam operam studijs nauando in uirum doctissimum euasit. Itaque cum sedes Halberstatensis suo pastore destituta esset, hic Sigismundus sextus eius loci Episcopus electus est. Erat is multis uirtutib. praeditus, atq; potissimum ocium detestabatur. Unde ijs horis, quibus in Ecclesia neq; legerent, neque orarent, ipse aliquid scribebat aut pingebat. Nihil enim unquam ipse de bonis Ecclesiae absumere, aut aliàs cibum capere statuerat, nisi prius proprijs manibus sibi uictū suppeditasset. Hinc factum ut Arnolpho Cesari esset gratissimus. Lu-

douicus etiam secundus eius nominis Imperator ob hunc uirum Halberstatensem ecclesiam multis priuilegijs exornauit. Inter ea erat, quod Canonici eius Ecclesiae absq; ullius alterius consensu Episcopum eligere & confirmare possent. Id quod tū rarissimum erat. Cum itaq; per triginta annos optimè rebus praefuisset, atq; moriens suum successorem Bernhardum praedixisset, anno 926. uiam uniuersae carnis ingressus est. Ano. Crantz.